



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Cap. XIV. De Sacramento Confirmationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

tur ii , qui saluti animæ consulere , quam muneribus augere queant.

12 Arcentur autem merito ab ista sponsione , qui nondum ad annos discretionis pervernerunt , nec Fidei rudimenta tenent , utpote Symbolum Apostolicum & Orationem Dominicam ; item , qui , justo impedimento cefante , eo anno peccata Sacerdoti suo confessi non sunt , neque in Festo Pascha sacram Eucharistiam suscepserunt , quique hæresi infecti aut excommunicati sunt. Neque enim convenit , illos tanquam comministros & testes afflere Sacramentis , qui vel de illis male sentiunt , vel quos Ecclesia à divinis arceret , vel qui se ipso à communione & unitate Catholica segregarunt.

^{1. c. plau-}
^{cuit. 16.}
^{q. I. c. per-}
^{venit. 18.}
^{q. 2. c. non}
^{licet. c.}
^{Monach.}
^{57. de}
^{confec.}
^{d. 4.}

13 Regulares quæcunque personæ : utriusque sexus , de Baptismo aliquem fulcipere , aut pro aliis spondere , sacris Canonibus prohibentur. Pastores denique diligenter notent , à te vel aliis in sua Parochia baptisatos ; ut in libro Pastorali expressius continetur.

14 Alienum autem existimamus , magnam hujus mundi pompam circa Baptismum adhibere , ne , ubi unusquisque in Baptismo pollicetur , Satanae renunciare ejusque pompas defere , in ipso vitæ Christianæ limine iis rebus dari opera videatur , quibus potissimum solemnis sponsione renunciatur.

15 Antiquam & religiosam illam consuetudinem , qua puerpera post absolutum puerperii tempus in proximo statim egressu ad Ecclesiam procedunt , ut Deo pro puerperii beneficio gratias agant , ac precibus & benedictione sacerdotali expientur , tanquam piam ac laudabilem conservatam ac revocatam volumus. Nulla verò puerpera ante xxv à partu diem ad benedictionem admittatur ; eaque non nisi à proprio Parocho aut ejus Vicario perficiatur.

^{Act. c. 8.}
^{& 19. ad}
^{Ephes. 4.}
^{v. 30.}
^{Aug. lib.}
^{2. contra}
^{litteras}
^{Petil.}
^{i. can. omi-}
^{nes fideles.}
^{de conse. r.}
^{diss. 5. &}
^{est Vrbani}
^{Martyr.}
^{qui vixit}
^{An. 227.}
^{in exem-}
^{pla ad}
^{omnes}
^{Christia-}
^{nos. c. no-}
^{vissime,}
^{ead. diss.}

CAP. XIV. De Sacramento Confirmationis.

1 Sacramento Baptismi succedit aliud , quod contra hæreticorum infestationes in divina Scriptura fundamentum ac testimonium habet , secundum Ecclesiæ & SS. Patrum receptam ab omni antiquitate sententiam ; & à Patribus antiquis Confirmatio , Vnctio , Chrisma , vel Christiatis Sacramentum appellatur , à quo & nos Christiani denominamur. Quid enim aliud est Christus vel Christianus ? quam Christinatus unctus ? Quod Sacramentum et si non omnibus ad salutem absolute sit necessarium , tamen , cum in eo plenitudo Spiritus sancti conferatur , roburque detur adversus Carnis , Mundi , & Diaboli infidias , utque gratia roborati Fidem Christianam aperta fronte , constante animo , coram toto mundo sine hæsitatione profiteri non eru-

bescamus. Non leviter peccant , qui hanc sibi sollicitudinem non assumunt , ut vel ipsi , vel quorum curam gerunt , hoc salutari præsidio muniuntur , fortisque in Fide constituantur ; multo vero gravius , qui illud per contemptum negligunt. Ut propterea Nos , omnes & singulos subditos nostros serio commonitos esse velimus , ut hanc Spiritus sancti gratiam oblatam magno in pretio habeant , ejusque se participes faciant.

2 Pastores vero & Concionatores in Domino requirimus , ut eò majori diligentia , sollicitudine ac zelo , in fructibus hujus Sacramenti explicandis versentur , quò dident amplius illud ab antiquis & nostri temporis hæreticis derisui & ludibrio habitum , ac præcedenti tempestate in his regionibus neglectum fuisse. De hoc præclare S. Melchiades ^{s. Mel-} Papa: ^{chiarides} In Fonte Deus plenitudinem tribuit ad innocentiam , in Confirmatione augmentum praestat ad gratiam ; in Baptismo regeneramur ad vitam , post Baptismum confirmamur ad pugnam ; in Baptismo abluimur , post Baptismum regeneramur.

^{Epis.ola}
^{ad Epis.}
^{Hisp. &}
^{refertur}
^{c. 2. de}
^{confec.}
^{diss. 5.}

3 Ne vero tam salutari remedio subditi nostri destituantur , eam in Nos curam assumimus , ut per Suffraganeum Nostrum constitutum designatis ab Ecclesia temporibus aliisque , quibus ipse Diœcesis nostram obiturus est , hoc Sacramentum conferatur , nec defint tunc Parochi , cum adventum hunc futurum intellexerint , ut piis exhortationibus & documentis populum præsertim in pagis rudiore , præparent ac disponant , ostendantque , Confirmationis Sacramentum rem esse sanctitatis plenam , inde ab initio Ecclesia magno semper in pretio habitam , magnoque consensu SS. Patrum approbatam , ac propterea hoc magna religione compositaque moribus piè accedendum esse.

4 Inter alia vero de his populum doceant , ut non alii inter adulstos Episcopo sistantur Confirmandi , quam qui prima rudimenta sciant Christianæ Religionis , scilicet Dominicam Orationem , & salutationem Angelicam , ac Symbolum Apostolorum.

5 Qui adulti ad Confirmationem veniunt , ne gratiae Spiritus sancti obicem ponant , sacramentali prius & confessione conscientias suas purgent . gravibus autem sceleribus obnoxii , vel infames , aut sententia excommunicationis ligati , antequam pœnitentiam agant & ritè absolvantur , ad hoc Sacramentum non sunt admittendi.

6 Patrios autem , ad offerendos eos qui confirmati sunt Episcopo , declaramus idoneos , qui primum ipsi sint Catholici , confirmati , maturæ ætatis , ab omni excommunicationis sententia liberri , nec gravioribus criminibus palam obnoxii ; tum qui , eo anno ad Sacramentum Confessionis ac Communionis

C 2 acceſſe-

accesserint, prima fidei noverint rudimenta: Regulares autem personas ad hunc actum accedere prohibemus.

^{1. t. in Ca-}
^{techismo.}
^{cum seq.}
^{de cor-}
^{febr. d. 5.}
^{cult. de}
^{cognat.}
^{spir.}
^{Concil.}
^{Trid. saff.}
^{24.c.2.de}
^{ref.}

7 Patrinus autem non assumetur nisi unus, alias ab eo qui confirmandum ad Baptismum tenuerat.

8 Quilibet confirmandus, vel ejus Patrinus, fasciam lineam adferat, novam & mundam, trium digitorum latitudinis, ac longitudinis sufficientis, qua confirmati frons & caput ad reverentiam Chrysostomis obligetur; triduoque gestetur; quo transacto deinde, si potest fieri, per Pastorem, aut Sacerdotem, aut Patrinum, aut alium e fidelibus, deponatur; & paniculus interpositus, quo Vnde munera fuit, comburatur, mittanturque cineres in pincinam sacram; frons autem confirmati ablatur; aqua lotionis in pincinam sacram, vel cœmeterium, vel profluentem, effundatur, nullo modo in locum aliquem immundum.

9 Parentes ac Patrini confirmatis suis Filiis diligenter attendant, invigilantque, ut vitam agant tanta cœlestium donorum ubertate dignam, iisdemque saepe in memoriam revocent, quando, à quo, & ubi fuerint confirmati, & ut hac gratia plenitudine ad Dei gloriam & salutem suam recte utantur. Pastores etiam, confirmatos in particulari libro notent, ut in Pastorali.

C A P. X V. De Sacramento Eucharistie.

^{1. Chrys.}
^{Hom. 60.}
^{ad pop. &}
^{83. in}
^{Matt. 45.}
^{in Ioan.}
^{& 61. ad}
^{pop. An-}
^{tioch.}
^{3. c. multit.}
^{1. q. 1.}
^{4. I Reg.}
^{4. 5. 6.}
^{2. Reg. 6.}
^{2 Cor. 11.}
^{1 Saff. 13.}
^{in decreto.}
^{hinc + offensus,}
^{gravissimas in populum cala-}
^{de SS.}
^{Euch.}
^{sacr. Can.}
^{1. 2. 3. 4.}
^{5.}
^{6. Cont.}
^{Trid. saff.}
^{13. de sa-}
^{cram. Eu-}
^{char. Can.}
^{3. Item}
^{Jeff. 21. de}
^{commun.}
^{sub uira-}
^{que, Can.}
^{1. 2. 3.}

C Vm Eucharistia sit præcipuum ac maximum Dei donum & longe sacratissimum Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia dignius, admirabilius & salubrius, ipsum omnis boni ac gratiae fontem & autorem continens; dolendum sane est, multorum sanctarum Religionum Catholicae adversariorum impia studia conatusque in oppugnationem hujus divinissimi Sacramenti converti, multorum item & maximè malorum Sacerdotum impunitate ac vita mala, divinum hoc Sacramentum, horrendum in modum, profanari atque contemni; ut mirandum non sit, si Deus, merito hinc + offensus, gravissimas in populum calamitates immittat. Cui utrique malo occurrere cupientes, serio Pastoralibus ac quibusunque Concionatoribus, & divini verbi præconibus, commendamus; ut, quæ de astriuenda hujus Sacramenti veritate, transubstantiatione, adoratione, veneratione, sumptuone, oblatione, &c. sancta Synodis Tridentina post SS. PP. & DD. testimonia definitivit, populo diligenter proponant atque explicit, simulque doceant, in Sacerdotibus quidem seu sacrificantibus ambas Sacramenti species sumendas, sine quibus rite consecratio & oblatione fieri non posset; in aliis vero fidelibus non sacrificantibus, illud certum esse, nullo

eos divino præcepto ad Eucharistie Sacramentum sub utraque specie sumendum astringi, nec Christum in duas partes dissecatum, secundum duo Sacramenti hujus signa, sed tam sub una quam sub utraque specie, imo sub unius etiam hostia consecrata particula, Christum totum exhiberi, atque sumi, secundum Carnem, Animam, Sanguinem, Divinitatem, fine ulla gratia, fructus, effectusque sacramentalis diminutione.

2 Qui ritus communicandi tanto accuratius in Ecclesia Nostra est ab omnibus retinendis, quo certius constat, hoc evidenti Symbolo Catholicos ab Hærericis hodie plurimum discerni; & eos, qui usum calicis veluti rem ex institutione Christi necessariam ad salvatorem tantopere urgent, Ecclesiæ Catholicæ defortores tum contemptores esse; quos juvat magis de externis Sacramenti signis contendere, quam internam Eucharistie virtutem & fructum quærere. Pastoribus vero serio & sub gravi poena injungimus, ne in hoc quicquam moribus Ecclesiæ Catholicæ contrarium committant.

3 Ne vero simpliciores errore decipiuntur, ut, ablutionem ex calice sumentes, existimant, le Domini Sanguinem sumere; repetimus quod hac in parte à Prædecessore Nostro ca. 3. Synodi statutum est; & volumus, ad rudis vulgi errorem abolendum, à Parochiis vas quoddam honestum distincta formæ tam à calice quam à domestico cyatho, atque illud, ubi commode haberi potest, argenteum, in templo affervari, unde communicantibus & petentibus ablutione seu purificatio ab honesto Laico porrigitur; eaque de re populus, ne erret aut offendatur, diligenter instruatur.

4 Volumus etiam 7 ut in qualibet Ecclesia sit dominicula, seu receptaculum, vel tabernaculum ut vocant, Venerabilis Sacramenti, in loco elevato, conspicuo, honorifico, mundo, sicco, cancellis ac repagulis bene munito; in ipso summo Altari secundum morem Romanum tabernaculo aliquo excitato quod optamus; vel, quod toleramus, secundum vetustam Germaniæ consuetudinem in latere sinistro Chori; ubi antiquissimo Ecclesiæ usu, pro adoratione & infirmorum Viatico, Venerabile Sacramentum conservetur. Ut vero ab ingredientibus Ecclesiam animadvertisatur, ubi facrosancta Eucharistia sit adoranda, monitorio & conspicuo aliquo opere, seu pia aliqua sculptura, id designetur, quæ spectantes ad pietatem & cultum hujus Sacramenti, dulcem beneficiorum memoriam, & praesentia Christi Domini nostri venerandam admonitionem excitet.

5 In Tabernaculo sit Monstrantia (ut vocant) argentea, deaurata, pro modo facultatum fabricæ, quæ ad Christi Venerabile Cor pus

^{7. c. Sane-}
^{de celebra-}
^{Missare.}
^{1. de cre-}
^{scod. Est.}
^{char.}